



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Medvlla Theologiæ Moralis**

**Busenbaum, Hermann**

**Monasterii Westphaliæ**

Dub. VII. De Reo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40957**

se occultet, ne rogetur, casu quo tenetur testari.  
Si iudici iustè interroganti non obediat. §. Si pro-  
tium pro dicenda veritate accipiat.

## DUBIUM VII.

De Reo.

## ARTICULUS I.

*An, & quando Reus teneatur fateri  
veritatem?*

Resp. I. Si non interrogetur legitime, non tenetur fateri suum crimen, sed potest Judicem eludere, vel ambiguis verbis, vel etiam negando, cum aliqua restrictione, & in bono sensu, ut mendacium absit. Ratio, quia tunc Judex non habet jus interrogandi, aut obligationem imponendi Reo. Ita Less. Laym. tr. 6. l. 3. c. 5. Bon. d. 10. q. 3. p. 2. Unde resalves.

I. Reus non tenetur fateri crimen suum. 1. Si Judex non sit legitimus. 2. Si à seipso litis processum inchoet sine prævia accusatione, saltem virtuali. 3. Si non præcessit semiplena probatio, nec infamia, nec manifesta criminis indicia extent. Ratio, quia in his Judex non interrogat legitime. A 707. Less. Fill. Laym. Bon. ll. cc. Card. de Lugo d. 40. n. 1.

II. Nec tenetur, si dubitet, an Judex legitime interroget: quia non tenetur parere cum gravi suo damno, nisi constet superiorem posse præcipere. Ita Less. Fill. Laym. l. c. Sanch. l. 6. consil. c. 3. d. 31. Sal. C. de Lugo, & c. contra Sylv. Bon. & alios.

III.

III. Judex tenetur Reo manifestare statum causæ, & quæ sint indicia, quo modo probetur delictum, &c. ut Reo constet, an legitimè interrogetur: quia non tenebitur respondere alioqui, & seipsum honore, aliisve bonis, quæ bona fide possidet, spoliare. *Cajet. Nav. c. 25, n. 43. Card. de Lugo, d. 40. n. 1.*

IV. Si Reum juridicè quidem interroget Judex, sed non nisi ex falsa præsumptione delicti, v. g. an exierit ex tali domo, stricto ense: potest Reus (idem est de teste) licet sciat semiplenè probatum esse, id negare, si exiit quidem, non tamen facto delicto, sed ob aliam causam: quia si Judex veritatem sciret, non posset interrogare. Ita cum *S. Tho. q. 69. a. 1. Sot. Fagund. p. 8. c. 34. Dian. 3. p. t. 5. misc. R. 66. Card. de Lugo d. 40. n. 5.*

Resp. II. Etsi communior, & verior sententia sit *S. Th. 2. q. 69.* si Reus legitimè interrogetur à Judice, teneri in conscientia apertè veritatem dicere; probabile tamen est etiam, quod ex *Sylv.* docet *Sa & Less.* non teneri, saltem sub mortali, in causis capitalibus, & gravioribus, si sit spes evadendi, & nullum grave damnum reipub. timeatur, *Tann. d. 4. q. 4. d. 5. Card. de Lugo, d. 40. n. 15.* ubi dicit, esse sententiam valdè probabilem, & in praxi tutam. Ratio, lex humana communiter non obligat cum tanto periculo, v. g. mortis; tum quia inhumanum videtur, ut, qui convinci non potest, teneatur præbere arma contra se, quibus occidatur, aut gravem pœnam, v. g. perpetui carceris, subeat; tum quia non videtur tam heroicus actus præcipi posse. *Bon. in 8. præc. d. 10. q. 3. p. 2. n. 17.*

Dixi

Dixi I. *In Capitalibus*: quia aliud est de causis in quibus agitur de pœna Ecclesiastica, & quæ medicinalis.

Dixi II. *Si spes sit evadendi*: quia absque ea cesset ratio celandi veritatem. *Vnde resolves.*

I. Non semper opus est (juxta dicta *Resp. 2.*) Confessarius Reum urgeat ad crimen faciendum. *Card. de Lugo, d. 40. n. 20.*

II. Post sententiam latam, Reus non tenetur confiteri crimen, quod antè injustè negavit: quod finito judicio, finitur obligatio Rei, *Laym. l. c. l. m.* probabile est, nec ante sententiam ad id tenetur (etiam si adhuc sit in potestate Judicis) donec in eum interrogetur. *Card. de Lugo, d. 40. n. 17.*

*Resp. III.* Si quis ad evitanda tormenta graviter mentitus, falsum sibi crimen imposuit, per quod sit morte plectendus, non videtur mortale. Ita contra *Navar. & alios docet Angelus, syl. v. L. 2. c. 11. d. 7. Tann. de just. d. 4. q. 4. dub. 3.* Ratio, quia non est mentitus perniciosè, cum non teneatur tantis tormentis vitam conservare, *v. Card. de Lugo l. c.* Unde resolves.

I. Talis non tenetur postea crimen revocare, quamvis ante perjurio confirmasset, si prudenter metuit, ne ad tormenta revocetur; quia etsi perjuratio graviter peccarit, hoc jam transit, & non retractando nemini facit injuriam; ideoque sufficit; coram Deo pœnitere. *v. Less. Tann. l. c. & q. 5. d. 4.*

II. Si ex illa falsi criminis confessione, grave damnum aliis sequeretur, v. g. bonum Reipublicæ.

fama religionis, vel familię notabiliter læderetur, aut aliqui idẽ in hæresin lapsuri essent, quævis potius tormenta perferenda essent, *Tan. l. c. & q. 5 d. 4.*

III. Si reus tormentis coactus, denunciavit alium innocentem, tenetur sub mortali ante suam condemnationem, & si tum nõ fecit, etiam potest sententiam damnationis revocare: ad quod etiam à Confessario est obligandus. Ita ex communi *Tol. l. 5. c. 66. n. 7. Less. cap. ult. d. 15. Tann. d. 4. q. 5. dub. 4. n. 103.* ubi subjungit, 1. Si quis tamen sequatur, ipsaq; praxi servari advertat eam sententiam, quæ negat per revocationem in extremo vitæ factam tolli, vel infirmari denunciationem ante factam, ut docet *Delrio. l. 5. f. 5. Valent. d. 6. q. 13 p. 4.* is consequenter existimare poterit, denunciantem in eo mortis articulo (saltem cum suo incommodo, & sub peccato mortali) obligatum non esse ad revocationem, quia esset inutilis. Ita *Tan. l. c.* Licet ipse rectè censeat, fundamentum istius sententiæ minus esse probabile.

2. Monet idem *Tan. n. 105.* cavendum esse Confessario, ne vel importunè sæpius Reo damnato inculcet retractionem denunciationis iniquè factæ; vel retractionem factam imprudenter & cum scandalo evulget.

*Quæres.* An reus teneatur revelare complices?

*Resp. I.* Si omninò occulti sint, nec aliis indiciis, aut testimoniis convinci possint, non potest, nec tenetur: si tamen vi tormentorum coactus prodatur, ordinariè non peccabit, *Less. l. c. & Laym. l. 3. t. 5. c. 5.*

*Resp.*

Resp. II. Si crimen sit exceptum, tenetur etiam non rogatus, ideoq; si nolit, secundum Nav. non erit absolvendus.

## ARTICULUS II.

### Quid liceat Reo circa fugam pœne?

Resp. Quando sententia est materialiter infirmita, lata tamen secundum allegata & probata, et in conscientia non obliget, non potest Reus Judici positivè resistere; tum ob scandalum; tum quia in tali casu Judex habet jus sententiam exequendi, & ad id tenetur. Ita communiter Less. Sanch. contra Vict. Bonac. Card. de Lugo d. 4. n. 38.

Dixi, positivè: quia Reo, etiamsi verè reus sit, licet ante, & post sententiam, (quoad mortem, vel pœnam morti æquivalentem, v.g. perpetuum carcerem) fugere. Ratio, quia quilibet tam magnum jus habet ad vitæ suæ conservationem, ut nulla potestas humana obligare possit ad eam non conservandam, si spes commoda ostendatur: nisi tamen bonum publicum aliud postulet, Less. l. 2. c. 31. d. 5. Unde resolves.

I. Regulariter Reo licet fugere, etiamsi cultos carceris grave damnum inde passurus sit, (saltem nisi juraverit se mansurum) quia utitur suo jure, & nulli facit injuriam, Fill. t. 40. c. 4. n. 274. Azor. Less. d. 5. n. 31. nisi tamen charitas aliud suadeat, ob damnum custodis præponderans. v. Bon. d. 10. q. 3. p. 2. n. 13. Less. l. c.

II. Multo magis licet fugere, ne capiatur, vel etiam

iam à ministro apprehendente se executere, non tamen illi vim inferre, vulnerando, percutiendo, &c. *ibid.* & *Regin l. 24. n. 4.*

III. Licet etiam, saltem in foro conscientiae, custodes (præcisavi & injuria) decipere, tradendo, v. g. cibum & potum, ut sopiantur, vel procurando, ut absint: item vincula & carceres effringere: quia cum finis est licitus, etiam media sunt licita. Et licet alii captivi per effractum parietem simul elabantur, non tenebitur de damno: quia tantum est eius causa per accidens, cum jure suo utatur. Nec refert, quòd leges & magistratus quidam tales effractores graviter puniant: id enim fit, quod vel contrariam sententiam sequantur; vel ex præsumptione, quod vim intulerint custodibus; vel quod propter bonum reipub. ea poena statuta sit, *Fill. l. c. Tan. d. 4. q. 4. dub. 5. ex aliis multis, v. Card. de Lugo d. 40. f. 4.*

IV. Illis, qui non sunt ministri justitiæ, licet non solù consilio juvare Reū, ut fugiat, sed etiam supeditatis instrumentis, v. g. funibus, lima; &c. quia finem alteri licitum illi suadere, & ad eundem media proponere licet, *Less. l. c. d. 6. n. 40. Tan. l. c. Sylv. Turr. Vasq.*

V. Non tamen licet juvare in effractione carceris, ut habet communis; tum quia executio ipsa effractionis soli Reo licita est, propter jus vitæ conservandæ; tum ne alioqui omnis securitas carceris pereat. *Less. l. c. v. Bon. d. 10. q. 3 p. 1.*

*Quæres. An Reo liceat appellare?*

*Resp.* Si sciat sententiam esse justam, & justè processum esse, non licet, ( licet tamen supplicare ) quia

quia id esset iudici calumniam imponere. Imò in  
justè appellans tenetur de damno. Si vero puer  
sententiam iniquam esse, aut injustè processum  
esse; aut si diversè sint opiniones, potest appellare.  
*v. Tan. l. c. n. 100. C. Lug. l. c. c. 14. Sanch.*

## DUBIUM VIII.

*Quomodo Confessario agendum cum Reo*

Resp. Observanda sequentia. 1. Instruat eum  
quod quæ secum in foro conscientie agit, cum Ju-  
dicibus non communicentur, ideoq; sive sit nocens,  
sive innocens, id ei, nec prodesse, nec obesse  
possit. Ratio, quia alias multi conantur se falso  
probare innocentes, ut à Confessario juventur, alii  
contra falso se nocentes dicunt, quod timeant, ne  
Confessarius conferat cum Judicibus, ipsiq; revo-  
centur ad torturam. Unde expedit, 1. Ut non tem-  
erè evulget Confessarius accepta extra confessio-  
nem. 2. Ut ad confessionem sacramentalem Reo  
um non admittat, nisi postquam in foro profano  
res sunt liquidæ: vix enim adigi poterit, ut omnia  
fateatur ob timorem, ne vel deferatur, vel cogatur  
eadem fateri Judici: ante tamen de contritione ag-  
endum est, *Delrio. l. 6. c. 1. §. 3. Tan. d. 4. q. 5. d. 4.*

II. Ne cogat importunis modis Reos, ut se-  
les fateantur; tum quia verè quidam rei non sunt,  
& victi illa importunitate, ne moriantur in com-  
municati, vel à Confessario in extremis defera-  
tur, confitentur sacrilegè; tum quia frustra est con-  
fessio, nisi fiat ex contritione, & vera ad Deum  
conversione: de hac ergò laboret, & sequetur bo-  
na confessio, non autem contra. *Tan. l. c.*